Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Bernhard Hederich

DE NATALI DO=||MINI NOSTRI IESV CHRI=||STI ELEGIAE XI.|| Autore || M. BERNHARDO HEDERICO.|| ... ||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1569

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1725165945

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1725165945/phys_0001

☿ 35.

12, a — 3.

~~C. II. f. 1024.~~ Cq — 2300.
C II f

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1725165945/phys_0002

Illustrissimo principi ac domino
domino Ioanni Alberto, duci Mega-
polensi, principi Vandalorum,
comiti Suerini, Rostochij, et
Stargardiæ domino &c: domino
suo clementissimo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1725165945/phys_0003

XXVI. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1725165945/phys_0004

DE NATALI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ELEGIÆ XI.

Autore

M. BERNHARDO HEDERICO.

Ex Bibliotheca Quedlinburgensi



LECTORI ALBERTVS TIMANVS.

Οὗτοι μέντ' ἀγαθοὶ καὶ ἀμύμονες εἰσὶν ἀοιδοὶ
οἱ μεγαλοψύχους, ἥρωάσθ' ὑμνείουσιν
ἡμιθέους: ὥς γὰρ μεγάλ' εὖ ποιοῦσ' ἀνθρώπους
ἤθεα κεδνὰ διδάσκοντες κάλλιστά τε ἔργα:
τὴν δὲ πολὺ κρείττην γένετ' ἀνὴρ, ὃς θεὸν αὐτὸν
ἄμβροτον, ἐσθλοδότα, ὑμνήσει θέσπιδι φωνῇ
οἷος ἔφυ Εδερικος ἀμύμων μάντις, ἀοιδαῖς
θεία σαωτῆρος, λαμπραῖσι γενέθλια κοσμῶν.

ROSTOCHII
STEPHANVS MYLIANDER
EXCVDEBAT.

Anno 1569.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1725165945/phys_0005

ELEGIARVM NO-
mina: quæ hoc poëmate continentur.

Dei, & Mariæ virginis fi-lij	γενεθλιακὸν.	Elegia I.
Augustus	κοσμοκράτωρ.	Elegia II.
Ioseph	ἀποδημία.	Elegia III.
Maria	ἔγκυος.	Elegia IIII.
Bethlehem	ἐγκοδόμησις.	Elegia V.
Maria	στολή.	Elegia VI.
Angelus	εὐαγγελιζόμενος.	Elegia VII.
Pastor	ἀγραυλία.	Elegia VIII.
Maria	σωτηρία.	Elegia IX.
Pastores	διαγνωρισμός.	Elegia X.
εὐχαριστία.		Elegia XI.

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO IOANNI, IOANNIS ALBERTI

F. Duci Megapolensi, principi Vandalorum, comiti Suerini, Rostochij & Stargardiæ domino: domino suo clementissimo

S. D.

VT rerum facies oculis non cernitur una:
Sic nec commune est omnibus ingenium:
Hinc studia existunt hominum diuersa: quibus ceu
Naturæ rapitur numine quisq; suæ.
Dummodo diuitias alius sibi congerat auro:
Non hyadas, fragilem nec timet ille ratem.
Inuigilat, tolli dum certat honoribus, alter:
Turpe sibi nullum seruitiumq; putat.
Est qui terrenis excelso pectore spretis,
Ad superos propius scandit, & astra uidet.
Et cœli pariter motus scrutatur, & ipsas
Æthereas docta perlegit arte domos.

Siue quid Arcturus cieat, quid sæuus Orion:
Seu quid cum Tauro Pleïas orta ferat.
Aut loca metitur terræ, pontiq; profundi
Distribuit spacijs littora quæq; suis.
Occultas alijs terræ, rerumq; parentis
Naturæ uires quærere, sola placent.
Aut teneros ægro solantur carmine amores:
Miratiue duces Martia castra canunt.
Me, studijs si quæ grauioribus ocia fesso
Contingunt, superis carmina grata iuuant.
Admiranda quibus miracula plurima mundi
Erudiam pectus commemorando meum.
Edoctusq; Dei sapientia facta, calescat
In molles pariter mens mea, uoxq; preces.

Hæc quoq; nunc eadem multum mihi amata uolu-
Militia abripuit me grauiore scholæ. (ptas
Concessasq; iterum fallendo lusibus horas,
Disparibus iussit uerba ligare modis.
Haud inuitum urget tanti reuerentia iussi:
Materiam præsens edocet ipsa dies.
Comprobat exemplum sublimis in aëre turbæ:
Angelico grates quæ canit ore Deo.
Absoluitq; idem, præsepibus hisce quiescens,
Vagitusq; inter passus acerba puer.
Quæ, seu digna tuo sunt, illustrissime princeps,
Nomine: quæ, niueo pectore scripta, legas:

Seu

Seu indigna putas, ruditate offensus, & ipso,
Quod mitto, exiguo munere, mitto tamen.
Vt simul hoc tenui contester carmine, quanto
Te uel honore sequar, uel pietate colam:
Multiplices propria laudes uirtute paternas
Qui cumulas iuuenis, conspicuasq; facis:
Et quod cœlestis generosis moribus addis
Dogmata doctrinæ principe digna bono:
Et uera è studijs encomia quæris honestis:
Dum tua Pegasco pectora fonte rigas.
E quo, ceu riuo, uario cognomine uirtus,
Iunctaq; cum uera gloria laude uenit.

Hæc te, seu signis motis uersaberis inter
Arma uirum, aut hostes castra secuta, beant:
Seu patrios inter fines q; domosq; togatus
Iura dabis, tecum consona iura dabunt.
Sin uisum est, animo damnosas fallere curas,
Spectatum & syluas subdere calcar equo:
Vallibus aut clausis studia exercere Dianæ,
Atq; feras inter peruia lustra sequi:
Vmbra uelut corpus: sic pene sequentur & illa:
Destituent lato nec latus ungue tuum.
Sola metus tollunt: iras moderantur acerbas:
Et faciles motus, cultaq; corda parant.
Nulla ea tempestas, non flammeus auferet ignis:
Quin etiam à Stygijs tuta colentur aquis.

O ſtupidos nimium reges: quos improbus error
Occupat: & captos mente, oculisq; tenet.
Vt ſibi uel tantas pectus coluiſſe per artes,
Vel Muſas ſaltem turpe fouere putent.
Non fuit annorum ueterum ſapientia talis:
Maxima quæ rebus regna ſtetêre ſuis.
Teſtantur ſacri uates: teſtantur & omnes,
Poſteritas quorum ſcripta, libros q; legit.
Pellæum iuuenem, quo non præſtantior alter
Regali cretus ſtirpe, ſatus q; fuit:
Magnus Ariſtoteles docuit, mandante Philippo,
Quò patrium regeret rectius ille ſolum.
Illius ac tanto flammarum incenſus amore
Fertur, ut hunc longè poneret ante patrem.
Nempe quod hoc ſolas ſibi, quas nunc carperet, au-
Redderet & morti, diceret eſſe datas. (ras,
At ſe, quæ fidis hauſiſſet ab ore docentis
Auribus, his ſuperos poſſe referre deos.
Inter & armorum ſtrepitus, ſonitusq; tubarum
Mæonidis legit nobile uatis opus.
Diſiectiſq; altis Thebanæ mœnibus urbis,
Omnia cùm flammis tecta cremanda daret:
Solas Pindaricas ædes, quæq; illius eſſent
Sanguinis, has tutas Rex iubet eſſe rogo.

Scipiades magnus, cuius uirtutibus olim
Res Romana diu creuit, & aucta ſtetit:

Sic Ru-

Sic Rudĩ ingentum legitur coluisse poëtæ:
Vellet ut assiduum Punica castra sequi.
Contiguumq; suis illi posuisse sepulchrum:
Rupit ubi dulces inuida Parca dies.
At Xenophontæos nunquam deponere libros
Consuetum, quotues liber ab hoste fuit.

Quis tibi sensus erat, Spartani gloria regni,
Agesilae domus lausq; decusq; tuæ.
Quod, seu de lecto surgens, ubi Lucifer exit
Astraq; cuncta sua de statione fugat:
Seu stratum, somnosq; petens, cum pulsus Olympo
Mergit defessos æquore Phœbus equos:
Volueris assiduis manibus monumenta poëtæ:
Queis Troiæ, & Danaum tristia fata canit.
Et quoties rapido uisus contendere cursu,
Commoda ubi studijs ocia nactus eras:
Quæsitusq;, iocans, lætusq; ad amasium abire
Dixeris, & pullum te properare tuum?
O raram, & dignam laudato principe uocem,
Et quæ principibus uiuat in ore uiris.

Hæc exempla, pio doctoq; audita magistro,
Optime dux, animo te meditante tuo:
Thesauris inhians alius sibi colligat aurum:
Et uehat externis uasa superba locis:

Arma

Arma aliis placeant, lituiq; tubæq; fragores
Aut ultra ſtatuas Herculis ire iuuet:
Tu ſtudiis lætare tuis, lætare corona
Cecropij, quem te conſpicis ante, chori.
Doctrina quorum tuus illuſtriſsime princeps
Creſcat, & Heroas laudibus æquet honos.

C. T.

ſeruus

Bernhardus Hedericus.

IESV

IESV CHRISTI
DEI, ET MARIÆ VIRGINIS FILII ΤΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ.

ELEGIA PRIMA.

Festa salutiferi redierunt tempora partus:
Quo genetrice Deus uirgine natus adest.
Duraq; perpessus teneris præsepia membris,
Vagitus inter concipit ore boues.
Angelicusq; chorus, pecorum custode relicto,
Lætitia terras, aëra laude replet.
Ergo age Castalias mea Musa reclude Camœnas:
Quæq; potes, puero carmina funde Deo.
Carmina natales mecum celebrantia Christi:
Quoq; aliud maius non habet orbis, opus.
Quodq; simul superi iam tot mirantur ab annis:
Ipsaq; cum cœlo stella coruscа stupet.

Cuius nanq; adeo certa stat lege uoluntas:
Immotusq; suis finibus ordo manet:
Is bonitate tamen, nostriq; impulsus amore,
Iure suo potius cedere sponte cupit:

Quàm lapsos uideat cum posteritate parentes,
Æternæq; reos mortis adire Stygem.
Æqualiq; sibi, terræq; (a) mariq; potente
Virgineum uentrem prole tumere iubet:
Quæ pœnas scelerum, quæ non deliquerat ipsa,
Et graue peccati sanguine ferret onus.
Iamq; suo egressus thalamo fortissimus heros,
Festinat cæptas accelerare uias.
Iam procul umbrosis tenebris cum nocte fugatis,
Cynthia cum Phœbo luce decora micat.
Et noua Seraphei meditantur carmina cætus:
Mixtaq; cum lituis æra sonora cient:
Iessæiq; Lares humili sub culmine tecti
Vrunt fumosis mollia thura focis.
Venturiq; memor, præsepia fulgida circum
Nympharum ducit cærula turba choros.

Ergo agite ô reges, celsas qui turribus arces,
Et certo rerum iure tenetis opes.
Vos quoq;, qui terra, pontóq; iacentibus aruis
Imperium fertis, tristéq; legis onus:
Conuerso æratas impellite cardine portas
Et pateant ualuis claustra recluſa suis.

Ante

Antè fores uulgò pingues urantur odores:
Quos magno diues pondere mittit Arabs.
Et templis caleant tædis ardentibus aræ:
Psallentumq; sonent organa mista choris.
Omnia lætitiam uultu testentur: & atra
Nullum cura premat, sollicitetúe metus.
Nanq; renascentis mundiq;, hominumq; redemptor
Ingressurus adest limina uestra Deus.
Non qualis quondam gemmis insignis, & auro
Magnus Alexander diripit orbis opes.
Æmyliusúe acer, curruq; inuectus eburno
Summa triumphali carmine templa subit.
Sed tumidi exiguo uentris sub corpore tectus:
Quem tenera, & mundo spreta puella gerit.
Indutusq; hominem Deus, & moritura sub una
Viscera persona, nescius ipse mori.
Virq;, uiri nullo conceptus semine: & omni,
Imperium, seruo uilior, orbis habens.
In proprijsq; potens, patriaq; superbus, & hæres
Quicquid opum diues terra, fretumq; capit:
Hospitium proprijs tamen anteferens, opibusq;
Pauperiem, patrijs exiliumq; focis.

O ſacra, ô hominum penitus myſteria nulli
Cognita: ſed ſoli, qui colit aſtra, Deo.
Quem patrem æquæuum ſibi, principioq; carentem
Progenuiſſe orbis credimus ante dies:
Matre renaſcentem, quænam ſapientia tanta
Mortales uultus ſumere poſſe uidet?
Aut puerum infundi clauſis penetralibus alui:
Et teneros tenerum poſſe ſubire ſinus:
Quem mare, quem tellus, quem, quod capit oĩa, cœ-
Non capere ante ſuis tot ualuêre locis? (lum
Quem par maieſtas quondam, regniq; poteſtas,
Ac honor æqualem fecerat eſſe patri:
Is miſer humanam ſumit cum ſanguine carnem.
Et fragile in fragili corpore corpus alit.
Iunctaq; mortali diuina eſſentia maſſæ
Eſſe hominem, eſſe Deum, patre iubente, facit.
Nec tamen ut geminæ naturæ: ſic quoq; binæ
Perſonæ gemino corpore fata trahunt:
Vna ſed, ac uno perſona in corpore, eoq;
Omnibus expoſito caſibus, atq; malis,
Noſtra quibus, uarijs ceu tempeſtatibus annus
Fallitur, & multo uita labore perit.

Nec

Nec tamen, ut puero natura humana caduca est:
Vltima diuinam sic quoq; fata uocant:
Sed neq; pallentes sentit, patiturúe dolores:
Squalida uenturæ nec timet ora necis.
Ipsa etiam mater, socialis nescia tedæ,
Secretum pondus uentre tumente gerit:
Nec minus à partu mater, sedesq;, domusq;
Casta pudicitiæ, quàm fuit ante manet.
O sacra, ò hominum penitus mysteria nulli
Cognita: sed soli, qui colit astra, Deo.
At tu Cimmerijs mea mens concluſa tenebris:
Atq; in diuinis plena stupore bonis.
Supprime, quæ contrà ratio sibi somnia fingit:
In uerboq; Dei stet tua firma fides.
Inq; humiles humilis tua conijce lumina cunas:
Et molles puero pectore sterne toros.
Non crudelis ei facies, animusúe tyranni est:
Terribilesúe suo fundit ab ore sonos.
Martia non humeris, inimicaq; tela reportat:
Nullaq; conscripto mlite bella mouet.
Sed placidum, comem, studiosum pacis, amicum
Aduenisse tibi signa uerenda gerit:

Et quia de tenera, casta, timidaq; puella
Nascitur obscuro pauper, inopsq; loco:
Et quia nudus adest: puerique imbellis, & ægri
Assumptos artus sordida tecta fouent.

AVGVSTVS KOΣMOKPATΩP
ELEGIA II.

HÆc tibi Iudaicas, Cyreni præses, ad urbes
Littera ab Augusto Cæsare missa uenit.
Imperij nostri croceo cùm lumine Titan
Compleret circlos, octoq; lustra, duos.
Non mea nunc primum subeunt præcordia curæ:
Res Romana quibus stetq;, cadatq; modis:
Sed tum etiam, quando iuuenilibus impiger annis
Conturata nec ciuica castra dedi,
Romanóq; ferox Pharijs Antonius armis
Actiacis cecidit milite littoribus.
Nec me crudelem multos ceu uidimus ante,
Fecére in uictum parta trophæa ducem.
Nec pronum inflexit furiosa in facta uoluptas:
Massicus aut domuit pectora nostra latex.

Sed du-

Sed dubio quicunq; foret Marti exitus unquam:
Armorum semper pax mihi finis erat.
Hanc unam innumeris potiorem sæpe triumphis,
Et uita duxi pulchrius esse decus.
Ac ciuem seruasse bono plus principe dignum,
Quàm tota aduersi sternere castra ducis.
Ornamenta urbi, templis sua iura recepi
Artibus antiquum, iudicijsq; decus.
Imperiumq; super Garamantas protuli, & Indos:
Quáq; humeris Atlas sustinet astra suis.
Ac ubi depositio, post plurima prælia, bello
Pax tandem imperio contigit alma meo:
Omnis sollicito, præses, stat pectore cura,
Post multa optata secula pace frui.
Sed quia mens hominum rerum studiosa nouarũ est:
Et stimulat multos ambitiosus amor:
Omnibus imperij terris surgentia bella,
Armaq; sceptrigero sunt metuenda uiro.
Nimbosum ueluti Zephyrum, crebrisq; procellis
Austrum Myrtoo gurgite nauta timet.
Et pauidus cœlo surgentis Orionis astrum
Spectat, & obscuro littora pulsa sono.

Ergo

Ergo quæ toto dedimus mortalibus orbe
Iussa, eadem castris, accipe missa tuis.
Iudæosq; simul censens cum finibus agros,
Quas uires habeant oppida quæq; nota.
Ipsa etiam patrum, matrum quoq; nomina scribe,
Illorumq;, domos circumeundo, genus.
Non ut in extremis, ipsoq; in limine busti
Turpis opum obscuret nomina nostra fames:
Aut crudele nefas canam cum laude senectam
Polluat: & tacita posteritate premat.
Sed quod sic facilis numerus, ratioq; futura est:
Diuitis argenti quid sit ubiq; loci.
Et quantas nutrire manus prouincia quæq;
Aut tolerare graui tempore possit onus.
Munere sic nostro perfuncti credimur: atq;
Vnius imperij consuluisse bonis.
Dictaq; tu peragens, fidei præconia nobis
Accipies, iusto præside digna. Vale.

IOSEPH

ELEGIA III.

HÆc etiam noſtræ reſtant incommoda ſtirpi?
Hæc quoq; perpeſſos ultima fata manent?
Vt qui Romulea Cæſar regit impius aula,
Noſtraq; crudeli præſide rura premit:
In noſtros etiam uiolentes ſæuiat artus:
Et quæ quisq; ſuo parta labore tenet.
Nec prius argento ſatiari poſſit, & auro:
Qui, quas orbis habet, poſſidet unus opes:
Quàm ruat in mœſtos, poſt tot data funera, fun-
Omniaq; arbitrio cenſeat ipſe ſuo. (dos
Quæq; prius dura ſuppreſſa tyrannide tabent
Corpora, cum reliquo rapta cruore uoret.
Auri ſacra fames, & opum furioſa cupido:
Quos non rimaris flagitioſa dolos?
In quod non cogis mortalia pectora crimen?
Aut intentatum quod ſinis eſſe ſcelus?
Diuitis argenti mortales prima cupido
Impulit: imperij proxima cura fuit.
Inde ſiros ſubito Stygijs emerſa tenebris
Traxerunt ortus, quicquid ubiq; mali eſt.

Sed q̃d ego hæc? quor ſumíe dolor me abducit inanis
Longius, immemorem quò modo fata uocent?
Surge age iam pridem falſò mihi credita coniunx:
Atq; ſeneſcentis cura putata uiri.
Temporis heu quæ ſit toto miſerabilis orbe
Conditio, iuſto mœſta dolore uides.
Et quia de tanta Ieſſidæ plebe, piorum
Exigua occulto limine turba latet:
Et quia tranſlata noſtra de ſtirpe corona
Imperium externus Cæſar, & hoſtis habet.
Polluit interea blaſphemus templa ſacerdos:
Iactat & in ſanctum uerba prophana Deum.
Et cæci, proniq; ruunt in mutua ciues
Arma, & fraterno cuncta cruore replent.
Vltima nec duris urgeri tempora fatis:
Sceptráq; cum ſacris corruitura uident.
Sed tu ſola mihi quondam dilecta MARIA,
Naſcendiq; parens uirgo futura Dei.
Abijce, quas triſtes circumfers pectore, curas:
Et mecum Latij iuſſa capeſſe ducis.
Prima quibus toto deſcriptio poſcitur orbe,
Cyreni Syrias dum regis unus opes.

Sancta

Sancitumq; nouo est decreto Cæsaris: urbem
Vt petat hoc ipso frigore quisq; suam.
Séq; domumq; simúl, fundos, camposq; iacentes
Censenda enumeret præsidis ante pedes.
Ergo si qua tui tangit te cura mariti:
Et tantæ comitem non piget esse uiæ.
Surge: tuumq; pura mecum componere corpus:
Et laxos uincta cingere ueste sinus:
Officium hoc â te pietasq;, fidesq; reposcunt:
Connubijq; unquam non uiolandus amor.
Quem, ueluti rebus pariter gaudere secundis,
Communiq; frui prosperitate decet:
Sic & in angustis, æquali incommoda par est,
Ærumnasq; graues conditione pati.

Quos non exilij placidissima Sara labores
Pertulit, extorrem sponte secuta uirum?
Non ea uel patriam, uel dulcis commoda uitæ
(Si quid & his aliud charius orbis habet)
Prætulit erranti certa sine sede Tharidæ:
Quando etiam hostilis terra premenda fuit.
Sed cunctis sese committere casibus ausa est:
Seu toleranda sitis, seu toleranda fames.

Dulcius ut nihil est animo, uultuq; paterno:
Materno aut maius pondus amoris habet:
Sic alijs odijs, multò plus semper acerbi,
Quæ fratrum tentant pectora, fellis habent.
Non tamen è Labani prognatas stirpe retraxit
Seu uultus patrius, seu genetricis amor.
Nec furor, & rabies irati terruit Esau
Isaciden inter mille pericla sequi.

Res (fateor) misera est: & iusto digna dolore:
Siue tui tumidum cogito uentris onus:
Seu nostros specto longæui corporis annos
Roboraq; heu tantæ non satis apta uiæ:
Sed durum nos urget, & immutabile fatum:
Missaq; Romulea regia iussa domo.
Quæ quantum possint, ratio non improba monstrat:
Consonaq; exemplis dogmata sacra docent.
Iustitiæ seruæ leges, omnisq; potestas
A supero uenunt missa subinde Deo.
Et regesq;, deosq; uocat Deus optimus omnes,
Imperiosa quibus sceptra tenenda dedit.
Audiriq; illos mandat: punitq; rebelles,
Atq; inferre ausos legibus arma bonis.

Quod

Quod si te canæ terrent mala frigora brumæ:
Aut loca crudeli plena latrone times:
Frigoris, & canæ tollent incommoda brumæ,
Et qui defessis ignis in ossa redit:
Et tempus, longasq; uias fallentia uerba:
Et faciles comitum, cum pietate, ioci.
Cætera, ne dubites, dominusq;, deusq; cauebit:
Si qua pericla ambos insidiæq; manent.
Felices homines, & terq;, quaterq; beatos:
Custodem uitæ qui tenuêre Deum.
Non his aut grauida iaculis, arcuq; pharetra,
Aut ferro ancipiti est inuenienda salus.
Nec lustra umbrosis, uastisq; horrentia syluis,
Atq; latrocinijs nobilitata timent.
Omnia tuta pijs, dubio uel in orbe uagentur:
Vel quassa æquorëis puppe uehantur aquis.

MARIA ETKYOΣ
ELEGIA IIII.

EN accincta sinus tua nunc uestigia seruo:
Et quocunq; uocas, te duce, sponte sequor.

Non ignara tori ſocialis fœderis: & quam
Poſt tibi uel nunquam debeo nupta fidem.
Nec, mihi quas ſemper uitæ, morumq; magiſtras
Delegi matres, turpe putabo ſequi:
Nec, quoſcunq; ferent fatalia tempora caſus.
Aut timeo, aut æqua ſorte ſubire piget.
Imo etiam dulces, metuis quos, ſpero labores:
Sic omnis noſtro pectore cura fugit.
Seu meliora animus nobis præſagit: & inter
Spes dubias firmam monſtrat amicus opem:
Seu, qui mirandis moderatur legibus orbem,
Hoc opus, hoc noſtrum conſiliumq; regit.
Tu cauſis modo, quas ueras retuliſſe uideris,
Nitere: & indictum ſuſcipe primus iter.
Aſt ego diuinum numen, noſtriq; tumentis
Ponderis autorem uoce precata Deum:
Pone ſubibo tuo non longè à tergore Ioſeph:
Ex uix preſſa pedum ſigna ſecuta legam.

O qui Seraphio ueheris Deus optime curru:
Et bonus imperij ſceptra ſuperba geris.
Et ſine conſilio cuius, quod in omnibus unquam
Contingit terris, ſtatq;, caditq; nihil.

Quæ

Quæ mea, quæ grauida ratio sit ponderis aluo,
Ætherea præsens solus ab arce uides.
Non mea turpis amor tentauit pectora quondam:
Virgineum aut rapuit cæca libido decus.
Nec uim passa uiri tumeo: sed flamine sacro
Circum fusa Deum, te moderante, gero.
Hoc opus ergo tuum nostro sub corde tuêre:
Et nato, & matri, quam decet, affer opem.
Et uires, animumq; tuis simul adde ministris:
Et comes, & ductor noster adesto Deus:
Qui uelut es cunctis pariter mortalibus æquus:
Sic præsens cunctis crederis esse locis.
Tristior & si quæ nobis fortuna profectis
Imminet (ut semper dura ferenda pijs.)
Tu fidus nostri custos sis corporis: ut quod
Ingredimur, tuti perficiamus iter.
Et læti patrijs portisq;, focisq; recepti
Pectora nostra tibi carmina grata sonent.

BETHLEHEM ΞΕΝΟΔΟΧΟΥΣΑ.

ELEGIA V.

Quos

Qvis nouus hic nostris succedit mœnibꝰ hospes?
Quæ comitata senem limina uirgo subit?
Quàm sanctis olim conformis matribus illa
Incessus castos, oraq; casta refert.
Et rarum, dignumq; illustri stirpe pudorem,
Pectoris, atq; pij signa uerenda gerit.
Credo equidem (nec uana fides) uultum esse parentis,
Cœleste humano uentre gerentis onus.
Hæc est illa dies, niueo signanda lapillo,
Laudibus, & plena uoce ferenda Deo.
Vatidicà toties, quam prædixere prophetæ:
Et sancti toties quam cecinere patres.
Quam reges multi, quam religiosa uirorum
Sæpius optauit turba uidere diem.
Ecce dies ueniet, dominus Deus ille Zebaoth
Inquit, ut Haggæus uerba propheta refert.
Lux ueniet, dicit, nec abest procul inde: sed ipsis
Iam iam læta tuas constitit ante fores.
Cùm cœlum, & terram, fluctus, atq; arida circũ
Regia qua teneo sceptra mouebo manu.
Quin etiam gentes cunctas simul ipse mouebo:
Cùm sacer, & magnus uenerit ille dies.

Et tunc

Et tunc Messiam, crebris singultibus antè,
Demittam excelso, quem petiêre, polo.
Hancq; implebo domum cœlesti numine nostro,
Fortis ait dominus, militiæq; Deus.
Nam mea sunt, quæcunq; uagus sibi possidet orbis:
Quicquid & argenti, quicquid & æris habet.
Quamq; fuit primi, Deus inquit, gloria templi,
Iam iam uenturi gloria maior erit.
Inq; illa, uictis, positisq; hostilibus armis
Candida regnabit pax sine fine die.

Iam cœli, iam terra grauis, pontusq; profundus
Mota manu fortis contremuere Dei.
Virtutes tremuere poli, hoc est, lapsus ab alto
Descendit cœlo filius ipse Dei.
Quem pater æternus propria de essentia, & ipsum
Æternum sese conspiciendo parit.
Per quem principio dicendo secula fecit:
Et quicquid cœlum, terra, fretumq; capit.
Quiq; ex arcano decreta latentia patris
Primum Euangelij protulit ore sinu.
Et nunc cuncta suo conseruat numine: & æquus
Omnibus, imperij frena potens q; tenet.

Post etiam fluctus q; maris, terram q; patentem
Mota Deus sceptro concutis alme tuo.
Scilicet innocuus quia se demittit in aluum
Virgineam, uerbo concipitur q; puer.
Induitur q; hominis mistam cum sanguine carnem:
Et fragile in fragili corpore corpus alit.
Numine qui q; suo cœlum prius omne replebat:
Hunc gerit in casto casta puella sinu.

Salue io felix, dignata q; sola ~~digna~~ tot inter
Innumeras sponsas sponsa, parens q; Dei.
O utinam, nostro quæcunq; est pectore uirtus
Surgat: & infantis flagret amore tui.
Et uiuam liceat uiuentes fundere uoces:
Et capere in tecto gaudia uiua Deo.

MARIA ΘΕΟΤΟΚΟΣ.
ELEGIA VI.

QVi quod principio genus hoc mortale creasti,
Immensa seruas de bonitate Deus:
Et certis hominum sancis connubia metis:
Et castos thalamos castus & ipse probas.

Ipse

Ipse etiam matrum fœcundans ilia, primus
Iam partu enixis auxiliator ades.
Quas tibi pro meritis tribuam, pro munere grates?
Aut tua quas laudes in benefacta canam?
Et tibi quod dudum humanas assumere carnes
Complacuit natum, me genetrice, tuum:
Et quod te nostros supera miserante labores
Felicis partus luxit ab arce dies.
Nesciaq; illorum, quos cætera turba dolores
Prægnantum sentit, robora firma gero.
Seu quia diuinum nobis puer ille uigorem
Addit, & antiquum spargit in ossa decus.
Seu quia sic pomi uiolati pœna popposcit:
Et duram legem matribus illa tulit.
Vt quæ in furtiuo socialis amore mariti
Læta suo tumidum uiscere ferret onus:
Exigua immenso commutet gaudia luctu:
Et mala nonnunquam morte leuanda ferat.
At ego nullius quondam uim passa mariti,
Atq; autore sacro flamine fœta parens:
Sum nec obumbrato mihi conscia uentre doloris:
Nec modo perpetior parturientis onus.

Nulla manet iustos neq; lex, neq; pœna: rebelles
Insequitur uindex ira, furorq; Dei.

At tu consilio superi mihi iuncte parentis
Custos: & nati forte putande pater.
Exiguam lignis crepitantibus extrue flammam:
Et stipulas, stabulo quas legis, ure foco.
Nec pigeat tepidis inuoluere brachia telis:
Et raro aduersos igne fouere pedes.
Quem non heu duro piguit sub frigore dura,
Et sordes inter, sordida fata pati.
Horridaq; aresti præsepia gramine sterne:
Quáq; uacat, puerum pone, marite, tuum.
Dura cur leuibus multo fœmulia plumis:
Et molli filices sunt leuiora toro.
Aspice, quæ geminis sub fronte simillima stellis
Atq; supercilijs lumina nigra micant.
Miranturq; nouum post cœlica limina regnum:
Exiliq; stupent tecta, focumq; sui.
Vt gerit in placido placidissima tempora uultu?
Oraq; purpureo mixta rubore nitent?
Et tacitè monstrant imo sub corde latentem:
Atq; exertantem signa uerenda Deum?

Cresce

Crescе puer: primisq; tuis patefactus ab annis
Omnibus optatam sæpius affer opem.
Quæq; meas de te nuper peruenit ad aures
Vni Seraphio conscia fama uiro:
In trifidum dilapsa alis fugientibus orbem
Euolet: & patulas compleat illa uias:
Progeniemq; Dei secreta hac sede latentem
Vulgatam passim fundat in ora uirum.

ANGELVS EYAΓΓEΛIZOMENOΣ.

ELEGIA VII.

EN ego, pastores, cœlo demissus ab alto
Aduenio, uester nuncius, atq; Dei.
Nuncius angelicæ turbæ fidissimus unus:
Assidue uestros quæ cubat ante focos.
Verùm quis subito trepidos pauor occupat artus?
Cur cum uoce simul diriguêre comæ?
Quin potius uestras huc huc aduertite mentes:
Et repetat fugiens ossa relicta calor.
Nam neq; fulgentem domini quam cernitis, auram
Nec mea lux quicquam uoxq; timoris habet.

Gaudia ſed mecum, nullis audita diebus
Hactenus, id uestro patre iubente, fero.
Quæ uobis, cunctisq; simul mortalibus ægris
Euenîre, ſuo quos capit orbe ſolum.
Nam noua diſcuſſis exorta eſt ſtella tenebris:
Lætaq; purpurea luce refulſit humus.
Candida pax cunctis terræ dominatur in oris:
Et graue militiæ ſponte quieſcit opus.
Scilicet exigua quoniam Dauidis in urbe
Editus eſt hodie uentre tumente puer.
Vobis uentre puer Chriſtus Seruator Iēſus,
Vobis ille puer uirgine natus adeſt.
Signa etiam dicam: quæ condita mente tenete:
Ne quid in errorem uos, dubiumúe trahat.
Eſt domus: & iuxta ſylueſtri culmine tectum:
Viminibus circùm clauditur omne latus.
Intus at immundo penitus latet area fimo:
Præbet & exiguo molle cubile gregi.
Huc cum deſponſo ceſſit ſibi uirgo marito:
Illius & gremium paruulus ante iacet.
Paruulus, inuoluit tenui quem faſcia filo:
Atq; in præſepi gramina dura premunt.

Ergo

Ergo agite, & celeres, gregibusq; per arua relictis
Pergite monstratæ tecta subire domus. (Celis,
Et geminis pueri nectentes colla lacertis:
Mortales uultus discite nosse Dei.

Hæc sunt Pastori quæ significanda fuere:
Vos mecum angelici soluite corda chori.
Et domino, & regi præconia dicite uestro:
Gratáq; nascenti munera ferte Deo.
Gloria sola tibi, cœli qui sidera torques,
A cunctis ueniat, quos tua dextra fouet.
Te simul æternum, iustum, castumq;, bonumq;
Esse suo celebrent pectore, & ore Deum.
Maiestas cuius, robur, sapientia, regnum:
Ac in promissis constat ubiq; fides.
Te patrem ingenitum fateantur, origine nulla:
Et quem te gignis conspiciendo Deum.
Quiq; sacer flatus pariter procedit utroq;,
Maiestate tibi, numine, honore pares.
Sic tibi soluentur, quæ nunc optauimus, omni
Tempore iustus honor, gloria iusta pater.
Vomere mutentur gladij, clypeiq; bidente:
Æreaq; in tenebris occupet arma situs.

Firmaq;

Firmaq; stent terris dulcissima nomina pacis:
Et redeant cunctis aurea secla locis.
Mens hominum nullo posthac exterrita casu
Iratum mundo sentiat esse Deum.
Consedere omnes commoto pectore flammæ:
Et placido cunctos aspicit ore Deus.
Tartareus dæmon, stygio comitatus Auerno
Vltrices pueri uoluitur ante pedes.
Vana biformis humi iacet accusatio legis.
Nilq; hominum quicq; crimina iuris habent.
Omnia nascendo destruxit paruulus ille:
Inq; suis humeris cuncta reposta gerit.
Ergo, pace data, mortales uiuite læti:
Et capite in puero gaudia mille Deo.

PASTOR AIPAYAΩN.
ELEGIA VIII.

QVis mirus nostras sermo peruenit ad aures?
Quid subitus tanto lumine fulgor habet?
Aut quæ turba pio repetit cum carmine cœlum?
Aëraq;, & terras, astraq; laude replet?

Tollite

Tollite pallentes socij cum pectore uultus:
Cernimus angelicos, ne dubitate, choros.
Angelus & superum missus descendit ab arce:
Qui ferret nobis iussa uerenda Dei.
Multos ante dies quales audiuimus olim
Conspectos crebro patribus esse uiros.
Et templo nuper Zachariæ usus in ipso
Dicitur: incenso dum sacra thure parat.
Ergo agite, & celeres mecum uestigia ferte:
Pascentemq; aruis linquite quisq; gregem.
Et quæ non dubia cuncti percepimus aure,
Et patefacta Deo cernere quenq; iuuat.
Aut Deus: aut idem, cuius nunc iussa ueremur
Spiritus, errantes ante cubabit oues.
Ne qua uenenata depasta concidat herba:
Aut rabiosa gemens expleat ora lupi.
Aut amissa procul, mentes, syluasq; pererret:
Omnia sunt uno præside tuta Deo.

Dicite nunc socij pastores, dicite fratres:
Quæ mens? quis tacito pectore sensus erat?
Nostra ubi cœlestis circundans corpora flamma,
Ceu pulsa fecit nocte uidere diem?

Tale nec haud unquam metuentibus angelus aſtat:
Plenáq; ſolando corda timore leuat?
Quis hominum tales æquet dulcedine uoces?
Mulceat aut ſimili nubila celſa ſono?
Et bonus & uerax Deus eſt Iehoua: ſuoq;
In uerbo conſtans, pollicitiſq; manet.
Nec mora, nec medij longinqui temporis anni
Promiſſis unquam diminuére fidem.
Linquenti patriam, Chaldæáq; regna Tharidæ
Promiſſa eſt longis diſſita terra locis.
Quam medius Iordane tuis allaberis undis
Gratáq; fœcundo balſama fonte rigas.
Sæpe eadem nato, ſæpe affirmata nepoti:
Et quos de genere hoc poſtera terra tulit.
Nec tamen exoluit citius, quæ dixerat, atq;
Quingentos annos luxerat orbe dies.
Et tamen exoluit: Pharaonis ut arma, uirosq;
Merſit Erythræis non reditura uadis.
Et placidus noſtros, inuicto robore, duxit.
Per mare, per terras, per loca uaſta patres.
Et magno ſparſit numero per caſtra uolucres,
Impia quîs poſſet pellere turba famem.

Eli-

Elicuitq; udas scopulis arentibus undas:
Percussæ ut calamo dissiluêre petræ.
Astilli innumeris afflicti corpora plagis:
Commeritas pœnas persoluêre Deo.
Placata donec domino, domitisq; superbis
Gentibus, has nobis hic posuere domos.
Sic ubi spes tenues peritura recedit in auras:
Aut certè in dubium pectora nostra uocat:
Messias utrum tandem mittatur ab alto:
Falsa sit an toties nostra, patrumq; fides:
Et puer, & nostros indutus nascitur artus:
Et tenero obscuros concipit ore sonos.

Sed quid dicendo, pastores, fallimus horas?
En uicina meos urbs iacet ante pedes.
Hâc iter ad portas: hæc sunt, quæ quærere iussi;
Si rectè memini, tecta, domusq;, sumus.
En prior ingredior: primoq; in limine matrem:
Et iuxtà exiguo lumine cerno senem.

Salue digna tuo genetrix sanctissima nato:
Laudatasq; inter gloria prima nurus.

Quod tua nos hæc tecta uides subijsse frequentes:
Non te conturbet, sollicitetúe metus.
Angelus hac cœlo demissus nocte per umbras,
Conspicuus nostros constitit ante greges.
Et claro circum medius fulgore refulgens,
A summo retulit talia uerba Deo.
Nullus uestra, uiri, tentet præcordia terror:
Ecce etenim uobis gaudia magna fero.
Gaudia non uni solum, multisúe futura:
Sed cunctis, quotquot terra triformis alit.
Nanq; hodie uobis dominus cognomine Christus
Haud procul Isacidæ est natus in urbe puer.
Signaq; sint puero circundata fascia Christo
Et præsepe humili, quod premit ille, domo.
Hæc ubi fatus erat: rursum sublatus in auras:
Serapheis subitò iungitur ille choris.
Qui reducem magna procul excepêre caterua:
Et simul has laudes concinuere Deo:
Gloria sola Deo: magnum qui torquet Olympum,
Pax terris: homini nescia corda metus.
Hinc quæ causa uiæ fuerit, tu conijce, nostræ:
Et nati monstra lina, locumq; tui.

Siccine

Siccine Messia noster, uotisq; uocate
Sæpius in terras Christe benigne uenis?
Et pueri assumis puerili in corpore uultus:
Et tenera in turpi gramine membra premis?
Frigora nec refugis? nec sordida tecta iuuenci?
Nec durum querula uoce cubile gemis?
Nos te fœmineo reddendum corpore semen
Credimus: & colubri quod pede colla terat.
Credimus & uarias in te cognomine gentes
Saluandas, quotquot terra, fretumq; capit.
Et dominum, regem, saluatoremq; fatemur:
Quiq; tui capias sceptra relicta patris:
Et nostris toto deuictis hostibus orbe
Æterna æternæ tempora pacis agas.
Cresce puer: gaudensq; cito iuuenilibus annis
Optatam crebris fletibus affer opem.
Dispersosq; tuæ mortales collige gentis:
Templaq; sustenta corruitura Sion.

O durum, ingratumq; hominum genus, atq; super-
Tota q; sulphureo turba sepulta lacu. (bum:
Siccine te dominum decet admisisse, domoq;
Excepisse tuum, perfide munde, Deum.

Marmore tu Pario, gemmisq; auroq; superbis:
Et gaudes tectis, præsidiisq; tuis.
Hic puer agrestis rupto sub culmine tecti,
Atq; boues inter nudus, inopsq; iacet.
Dum tua regali fulgent penetralia luxu:
Atq; omnis redolet pinguia thura domus.
Hic miser in stabulis & pleno sordibus antro
Vagit, & obscuris fletibus ora rigat.
Ante tuas famuli longo stant ordine mensas:
Hasq; onerant dulci nectare, Bacche, tuo.
Tutus at hic infans uno custode relictus,
Maternæ lactis parua alimenta capit.
Illius infesto soluuntur frigore membra:
At tuus assiduo candet ab igne focus.
Mollibus in plumis stertis, thalamoq; superbis:
Ostro qui Tyrio, textilibusq; nitet:
At hunc regales, præsepia sordida, cunæ,
Turpis & è duro gramine lectus habent.
O durum, ingratumq; hominum genus, atq; super-
Totaq; sulphureo turba sepulta lacu. (bum

ELEGIA IX.

IAm iam nulla mihi dubiam sententia mentem,
Nutantemue error spemq́, fidemq́ trahunt.
Sed certam magis, atq́ magis quàm plurima firmãt
Prædictis uerbis consona facta Dei.
Et quod uentre grauis, socijq́ ignara mariti
Conceptum puerum uirgo pudica gero:
Et quod desponsum nobis ex Helide natum
Angelus in somnis nocte silente monet:
Ne me, quod multò tacitus decreuerat antè,
Deserat: & profugus fœdera nupta luat.
Post me digressam, cognataq́ tecta petentem
Excipit Elisabeth numine plena sacro.
Exultansq́ domum magnis clamoribus implet:
Et matrem domini me uocat illa sui.
Quin etiam clausus materna fœtus in aluo
Gaudia percepit, subsiluitq́ puer.
Concurrunt sacris uatum solatia libris:
Nascentis cunas qui cecinêre Dei.
Fatalesq́, semel prædicti temporis, anni:
Nostra quibus Latio præside iura silent.

Et tri-

Et tribus: & qui nunc latè florentibus aruis
Excipit hospitio méq;, uirumq;, locus.
Sola fidem faciunt tardis audita bubulcis:
Signaq; Seraphio commemorata uiro.
Tu modo, quas mecum credenti pectore flammas
Concipio, tantus rexq;, paterq; foue.
Quiq; tua dignam ducis me prole parentem
Obscura genitam stirpe, locóq; Deus.
Qui puero tribuendus honos: quæ sedula cura:
Ignaram tantæ molis, opisq; doce.
Et quæ me pietas, & nescia fallere uita:
Simplicitasq; tibi iunxit amore prius:
Hæc eadem toto posthac in corpore regnent:
Dum rursum in cineres, quæ fuit ante, cadat.
Nè fortè incautam damnosa superbia uincat:
Et miseram reliquas efferat ante nurus.
Vt Deus ipse humilis, placidusq; ab origine mundi
Semper es: atq; nihil pectore fellis habes:
Sic humiles humili iuncti cum pectore uultus:
Simplicitasq; tibi non simulata placent.

PASTO-

ELEGIA X.

SVrgite mortales, celeriq; accurrite cursu:
Vel quà deuexo terra sub axe latet.
Vel Scythiam spectat, Ripheosq; ardua montes:
Aut cadit, aut surgit Phœbus Eóus equis.
Vos quoq;, qui colitis uentosa per æquora pontum:
Et mundi extremos, in uia turba, sinus.
Surgite: & ad nostras aures expandite uoces:
Auditas nullo, qui fuit ante, die.
Vrbs antiqua iacet, paucis habitata colonis:
Quà Iordanis aquis irrigat arua suis.
Vicinasq; Sion monstrat procul arduus arces:
Perflat ubi nigro turbine stagna Notus.
Coniugis Isacidæ tumulo, patriaq; per annos
Isaidis multos nobilitata ducis.
Bethlemam quondam patres dixêre priores:
Vel quia fœcundo claruit illa solo:
Vel quia cœlestem panem nouêre sub illa
Venturum æthereo culmine sede Deum.

Hanc Deus innumeras inter, populisq; frequentes
Vrbes ad superas extulit usq; domos.
Ipsi etiam, toto qua non magis orbe superbit
Altera, siue forum, seu pia templa uides.
Nanq; ubi nox medio contorquet sidera lapsu:
Et pecudum tacitis uox silet omnis agris.
Ipsi etiam curis, & dura corda labore
Mortales dulci uicta sopore leuant.
Paruula progenies cœli delapsa per auras
Post menses prodit uirgine matre decem.
Plurima quam patrum, regum, uatumq; uerendus
Secula Meßiam credidit ante chorus.
Qua uentura nouis esset gens aurea terris,
Nullius q; sibi conscia regna mali.
Cassaq; perpetua scelerum formidine (si qua
Crimina nascendos forte relicta manent)
Sidera quem cœli laudent: quem pontus adoret
Supplex, & pauidus sub stygе pluto tremat.
Et sine quo nullam licuit sperare salutem:
Quos dedit, aut unq; est terra datura uiros.
Vana nec illorum lusit sententia mentes:
Nec falsò fecit credita fama fidem.

Sed

Sed quæ promissi memores docuére tot annos,
Præstitit hac una nocte silente Deus.
Et testes cœlo misit flammantia castra,
Custodesq; sui cæca per arua gregis.
Qui puerum in rarís stipulis, filicumq; maniplis
Paupere sub tecto uidimus ante diem:
Aurora Oceanum cùm uix fugientibus astris,
Surgeret: & bijugis necta ruberet equis.
Et duras manibus cunas tractauimus: & quæ
Angelicus retulit plurima signa chorus.
Ergo citi, lætiq; noui ad cunabula regis
Currite: & occulto munera ferte Deo.
Nec uos aut tuguri paruo sub culmine squalor
Terreat: aut sparsus per stabula alta sinus.
Non innupta parens, cultúq; in gloria uirgo:
Exiguóue senex qui fouet igne focum.
Non nostris etiam similis puer ossibus: & quæ
Mortali in uultu lumina buna gerit.
Est Deus, & præsens hominum non ceruitur ulli
Sæpius: & tecto numine magna gerit.
Omnipotensq; suas obscuro in corpore uires
Exerit: & mundo spreta sub astra leuat.

Pulueribusq́ humiles, & turpi sorde iacentes
Excitat: at uindex corda superba premit.

EYXAPIΣTIA.

ELEGIA XI.

SAlue nate Dei, dulciſsime Ieſule ſalue:
Salue iò animis hoſpes amice pijs.
Quas tibi pro tanto perſoluam munere grates?
Aut laudes ſaltem quo ſatis ore feram?
Qui mortale tuo non dedignaris amore,
Nec fragili refugis uiſere carne genus.
Cui nec maieſtas, pariliſq́ potentia patri
Humana potior ſponte ſalute fuit:
Nec regni ſplendor, uenerandaq́ gloria tanta
Extitit: ut noſtrum ferre puderet onus.
Ah puer: & ſolo cuius ſtant omnia nutu:
Tanta tuæ ſortis quæ tibi cauſa fuit?
Vt ſimul imperio, & cœleſti ſede relicta:
Immunda iaceas nudus, & æger hara?
Gramineusq́ torus: craſſoq́ heu faſcia filo
Immiti fato cælica membra premant.

Bru-

Brumaliq; nimis palleſcens frigore, parua
Maternæ lactis uix alimenta trahas?
Hæc tua regali fulgentia lumina luxu?
Quæq; auro, & gemmis ſplendida tecta colis?
Arte laboratæ ueſtes? oſtrumq; ſuperbum?
In quibus heu tantus rexq; Deusq; cubas?
Ah puer: & triplicis cuius pars altera regni
Æterno æternus de genitore ſatus:
Et pater, & frater uenisti noſter: & hoc ſi
Nomine quid maius nomen amoris habet.
Ergo meas, quas fundo preces placidiſſimus audi:
Et fratrem, & natum reſpice Chriſte tuum.
Fac tuus ut partus, tua fac primordia uitæ
Vt ſint peccati mors preciosa mei.
Et tua mors contra uitæ mihi lumina reddat:
Mortuus, & uiuus ſim, puer alme, tuus.
Fac noſtro fulgere tuas in pectore cunas:
Et tibi purpureos ſternere poſſe toros.
Ne qua tui capiat ſecuram obliuio mentem
Et multa in laudes ſit mea lingua tuas.
Et qui regali cum maieſtate corona
Depoſita, in terris hoſpes, & exul ades:

Expulsam patria turbam, mundoq; uagantem
Colligе: & ad superas cogе redire domos.
Et quæ labe sua nostri amisere parentes
Gaudia, natali plena referto tuo.
Fac quoq; sint nostris procul hinc à finibus arma:
Et turpis miles classica nulla canat:
Vt sed apud superos concordia candida regnat:
Vnus & est tecum spiritus, atq; pater:
Sic fratrum unanimes coëant in fœdera mentes:
Balthica qui paribus legibus arua tenent.
Dulcia dulcis ament concordes commoda pacis:
Inuidus alterius nec petat alter opes.
Vt nec fraternis radijs argentea Luna
Inuidet, aut clarum nox premit atra diem.
Exemplo fac quisq; suo, uirtuteq; discat
Res paruas multùm crescere pace breui.
Cautior & damnis aliorum credat acerbis,
Dilabi magnas lutibus orbis opes.
Impia sinceris depellant dogmata templis,
Damnatumq; semel turpe Baalis onus.
Sintq; tui fido custodes pectore uerbi:
Et foueant natum pro pietate chorum.

Excipiantq; inter certamina tristia Musas:
Mundus in exitium queis ruit ipse suum.
Sic tibi, quæ tribuit uerę præconia laudis
Angelus, & cecinit cælica uerba Deo:
Illa tibi, illa patri dabitur quoq; gloria nobis:
Gloria in excelsis attribuenda Deo.
Et puri sceleris, pacemq; in corde fouentes
In te carpemus gaudia uiua puer.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1725165945/phys_0052



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1725165945/phys_0054

Dulcius ut nihil e … ltuq; paterno:
Materno au … lus amoris habet:
Sic alijs odijs, m … per acerbi,
Quæ fratru … ora, fellis habent.
Non tamen è La … tas stirpe retraxit
Seu uultus p … enetricis amor.
Nec furor, & r … rruit Esau
Isaciden inte … la sequi.

Res (fateor) mi … iusto digna dolore:
Siue tui tum … entris onus:
Seu nostros spe … orporis annos
Roboraq; he … satis apta uiæ:
Sed durum nos u … nutabile fatum:
Missaq; R … iussa domo.
Quæ quantum p … on improba monstrat:
Consonaq; e … mata sacra docent.
Iustitiæ seruæ … q; potestas
A supero … subinde Deo.
Et regesq;, deo … eus optimus omnes,
Imperiosa q … tenenda dedit.
Audiriq; illos … nitq; rebelles,
Atq; infer … bus arma bonis.

Quod

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 306
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
05 16 000
4.5 5.0 5.6 6.3
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock
the scale towards documen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1725165945/phys_0055